Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1483
Quelle:
Copyright:

CCCXCVII.

933 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 304. 4. priore ſui parte minutius, altera luculente exaratus I. exhibet *Job. Wicleſi* Expoſitionem in *Apocalypſin*, ut relata eſt *Cod.* praeced. cum eadem alterius manus ſuperſcriptione: *Jo. Wiklef in carcere anno* 1390. ut ibi. Qua de re mentem meam aperui. Initium: *Opus arduum valde Apokalippſim videlicet domini noſtri ihesu chriſti* &c. Et finis: *finaliter triumphabit.*

II. *fol.* 135. ἀνεπιγραφως Tractatus in *Capita* LXXXV. tributus de corrupta Sacerdotum vita, cujus initium: *Audite hec ſacerdotes et attendite domus iſrael — Oſeae 5. Notanter dicit hic propheta ſacerdotes eſſe laqueum factos ſpeculationi* &c. Folio *Codici* praefixo adſcriptum legitur: *Opus arduum ſuper apok. De abhominacione.* Quod ne quem in errorem inducat, toto *Codice* non niſi unicum Opus contineri, norit Tractatum nunc memoratum inſcribi *de Abominatione* et impreſſum haberi T. I. *Opp. Huſſi* edit. 1715. p. 473. referendum tamen potius videri ad *Job. Wicleſum*, ut *Cod.* CCCCVIII. declaratur. Finit ille in *Codice* praeſenti: *Et proteſtor, quod iſta, que ſunt hic poſita et alia mea dicta et facta humiliter ſubicio cum omni obedientia filiali ſancte Vniuerſali eccleſie puta eccleſie Romane et ipſius correctioni et emendationi in omnibus et ſingulis per me uel factis aut in poſterum faciendis &c. Sicut deus benedictus in ſs. ſs. Explicit liber de abhominacione.* At vero Editores reſecandum cenſuere *ro puta eccleſie Romane*, et Capita titulis ornanda nec ſat finceris, et odio Pontificis Rom. fortaſſe praeter Autoris mentem, turgidis, qui ſi adlata mox Proteſtatione nugari voluit, aut mentem poſtmodum mutavit, ad eum pertinet, cui Servus *ſtat, aut cadit.*

Praetextum eſt *Codici* Folium continens Verſus 19. e *Coelii Sedulii Operis Paſchalis* L. II. Sec. XIV. ſcriptos a v. *Orba ſuper gelidum* &c. usque ad v. *Quem matris dum ventre* &c. quod Fragmentum collatum cum Textu *Sedulii* in *Bibl. PP. Lugd.* T. VI. p. 463. probabiles duas emendationes offert, videlicet: *Qui ſancta piacula ſemper ſuſcipit*, pro *pericula*, et: *Sex quaſi luſtra gerens*, pro ἀλογῳ *Sed quaſi.* Subtextum vero Codici folium exhibet jocoſum et familiare *Martini* cujusdam *Turnoviensis* (Zturnowa) Epiſtolion ad quendam Magiſtrum *Gallum* (Hawel) vetere et proba lingua *Bohemica*, ſolidaque Orthographia ſub initium Sec. XV. ut videtur, exaratum, quo cum Amico de recens nata ei prole nugatur, Wicleſiſtasque Puellis metuendos perſtringit.

CCCXCVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 885
XV. Folior. 151. f. maximam partem per duas columnas ſcrip-